

1500 reliquaque maria exitus magnopere impediabantur : Decemvirum lege Angelum Quirinum , Aloisium Decanalem cum militibus centum eo miserunt , qui duabus oppidi arcibus præessent : quæ quidem arces quod promontorio-
lis item duobus oppido conjunctis sunt impositæ , spatium-
que perangustum habent , multorum propugnatorum non indigent .

Nuncii deinde aprili mense venerunt , classem Thraciam , quæ Naupacti ea hyeme fuisset , magno studio esse refectam , aliamque in sinu Ambracio institutam classem deduci , ut se cum illa conjungeret : ipsum regem maximo cum exercitu brevi in Peloponnesum venturum , ut quæ oppida in pacis conditionibus a Manentio petierat , bello persequatur . Iis rebus cognitis Senatus decrevit , uti naves longæ decem ex iis quæ ad mercaturam instituuntur , onerariæque magnæ quatuor armarentur : decemque iis qui imperaret , Jacobus Venerius datus ; singulis autem navibus suis præfectus cuique : auctaque iis stipendia , quo libentius proficiscerentur : missusque ad supplendam classem remigum opportunus numerus , quem ex continenti Senatus conduxerat . Jussi etiam præfecti militum viginti bona cum manu , cumque iis rebus quæ idoneæ ad munitiones faciendas essent , Methonem proficisci : pecunia insuper in classis stipendium missa . Senatus etiam consultum factum , ut naves longæ minores non paucae prioribus adderentur : biremesque complures confestim armarentur , classique submitterentur . Malchio & ipse , qui Corcyram venerat , navibus aliquot relictis ad Cephallenæ insulæ non tam quidem oppugnationem , quam ut in statione ibi essent , ne præsidium hostibus submitti posset , recentioribus de classe Thracia , regioque exercitu nunciis certior factus , uti e Creta milites & commeatus & tormenta Naupliam mitterentur , curam & diligentiam adhibuit . & quod Naupliam primum omnium venturum regem multi existimabant , pars ab illo præfectorum militum est eo transmissa : commeatum etiam omnis generis Methonem misit . Ipsi etiam oppidani , qui frumenta in agris pabulaque omnia
cir-